

par enim est, ut ait Paulus lib. 4. sententiarum Tit. 6. Eum, qui leges facit, pari majestate legibus obtemperare. Sanctus Ambrosius epistola 23. ad Valentinianum Imperatorem. *Quod prescripsisti alius prescripsisti & tibi; leges enim Imperator fert, quas primum ipse custodiat.* Et Tacitus lib. 2. Annalium cap. 20. & 30. *Dux aliis minora mandat, sibi sumit validissimum.* Sic Julius Cæsar, & Trajanus formarunt suo exemplo milites; primi inire viam, ante aciem stare, flumina trajicere & pericula militum prætentate suo. Quid agis contra Platonem, cui totus consentit orbis? lib. 4. de legibus. felicitatem reipublicæ in eo consistere, quod lex sit domina Principum. Quomodo ergo poterit stare hoc tuum dogma Machiavelle? quod reipublicæ perniciosum sit, id Principi utile esse. An bene potest esse corpori, capite ægro? an non exitiosum capiti corpore vulneribus undiqve confixo? aliter sensit Trajanus, qui electo præfecto cohortium prætorianarum, cum oporteret eum gladio accingere, nudum porrexit: *Accipe (inquit) pro me si bene & ratione imperavero distingas, sit minus, ad meum interitum utere.* Spoliare populum suis opibus, opulentos è medio tollere, aliorum bona in ærarium regium transferre, rapinis alienis ditari, perniciosum reipublicæ & Principi utile, Principi decorum. Piratam agere, stupris omnia replere & tyrannum agere; hæc sunt placita Machiaveli.

Quid Trajanus? nulla ira utebatur, abstinere ab aliena pecunia, non minus quam ab iniquis cædibus. Vitalis ergo aura & Principi & populo communis est. Verum impius format impios Nerones. Addit enim Machiavellus, aut optimum aut scelestissimum debere esse principem. Te ipsum trucidas impie. Si optimus cum optima & bene morata republica, quomodo id quod optima reipublicæ est optimum, potest esse perniciosum? Ait præterea, Tyrannum crudelitate se posse conservare, clamat contra te omnium sapientum chorus. Siftatur ante oculos Nero, Caligula, Domitianus; an non illa immanitas & luxuria à cervicibus publicis eos depulit, ferroque iustulit? *Centuplex murus, ait comicus, illis servandis parum est.* Audi Cæsarem. *Qui potentia impudenter & passim abutitur, neq; benevolentiam, neq; firmam securitatem inveniet.* Verum potentia mediocriter exercita, omnia quæ sita conservat. Pugnat contra te Cicero Phil. 2. *malus diuturnitatis magister metus & quando in scelere securitas?* dic mihi, ec quæ potest esse vis imperii, quæ præ metu potest esse diuturna? nonne omnes Tyrannum oderunt execrantur, & tandem opprimunt? an non multæ populo manus & Tyranno una cervix præbenda gladio? Pauci sine cæde Tyranni, aut sicca morte sepulti. Ipsas manus quibus te commisisti securus aspicias? audi Senecam in Troade. *Violenta nemo imperia continuit diu.* Esto, fruatur. An securus sui suiqve regni? ad omnem strpitum omnino pavet. Regna cum scelere omnibus exiliis graviora. Audi impie, ut contra te insurgat, & trucidet omnis gentilitas? At Atheus es, non utar adversus te sacris scripturis, quas nullas agnoscis. Lege libros sapientiæ, ipsi te docebunt, justitia firmari solium, & transferri regna propter injustitias, non conservari. Volo te obrutum telis gentilium, si DEUM esse